

Hist. univ. / 23

S O L E M N I A
M A G I S T R O R V M

PHILOSOPHIAE ET ARTIVM
CREANDORVM INAVGVRANDORVMQVE
IN DIEM PROXIMVM IOVIS

H. E.

D. V. MARTII

I N D I C I T

ATQVE AD EA CONCELEBRANDA

I N V I T A T

ORDINIS PHILOSOPHICI
DECANVS

D. CAROLVS ANDREAS BEL.

Inest

DE HISTORIA POETICA
DISSERTATIONVLA.

Hist. univ.

A.
250,32

3 O L I M I A
M A C I S T R O R V M

M I T T I A E T A R T I V M

O P T I M I S S I M I S A N D R O V M S V E

I N T I L L I T R O N I M I S P E S

L I C E

D I N I M I S S I

I N D I C I O

A L I Q U I D I N C O M M U N I C A T I O

I N T I L L I T R O N I M I S

O P T I M I S S I M I S A N D R O V M S V E

D I N I M I S S I

D I C T A T O R I U M A N D R O V M S V E

I N T I L L I T R O N I M I S


I N T I L L I T R O N I M I S

I N T I L L I T R O N I M I S

I N T I L L I T R O N I M I S



VI
DE
HISTORIA POETICA.

 Verissima est illa veterum sententia, et nostrorum quoque scriptorum vocibus frequentata, *Historiam, quoquo modo scriptam, delectare.* Non quasi parum referat, quae ratio ineatur describendarum rerum inter homines gestarum; sed quod tanta est historiae suauitas, tantoque studio ab animis humanis appetitur, ut, siue ars accedat ad eam enarrandam, siue nuda et simplex conspiciatur, placeat tamen longe plurimum. Numquam enim magis homines nos natos esse, et humanis omnibus obnoxios meminimus, quam cum tot mortalium casus et vicissitudines, eosdem cum nostris labores, commotiones animi, desideria, bene atque feliciter actam mortalium vitam, rursus autem pessima eorundem facinora, et tristes euentus, historiae beneficio intuemur. Quae omnia eam varietatem in tradendo admittunt, ut
A 2 ampliffi-

amplissima de diuersis modis historiae scribendae disputatio institui possit. Quam si quis singulari libro complecteretur, fere vt *Georgius Paschius*, Theologus Kiloniensis non indoctus, *de variis modis moralia tradendi*, diligenter multa et vtiliter collegit, *) non leuem a studiosis historiae gratiam initurus esset. Neque enim hoc vnice ab eo agendum videretur, vt modos illos accurate recenseret, et illustraret exemplis additis; sed vel maxime, vt, quantum cuique vtilitatis tribuendum sit, quae sit huic vel illi generi historiarum aptissima, quibus singulae cautionibus et legibus regantur, iudicaret ipse accuratius. Equidem per hanc scribendi occasionem periculum faciam in ea methodo historica examinanda, quae adfinitate quadam cum docendi munere nostro coniuncta est; sed leuiter tantum in ea adumbranda, cum plura haec breuitas scriptionis non patiatur, versabor.

Historia omnis eo consilio enarratur, vt et profit legentibus, et voluptatem simul afferat: neque vnquam existimo repertum fuisse, non dicam historicum aliquem, sed vel molestissimum compilatorem, aut annotationum scriptorem, cui non illa mens federit, docendi lectores scitu vtilia, et eadem opera oblectandi. Sed exstant tamen ea historiae genera, quae praecipue se ad erudiendos homines, admonendos, et salutaribus praeceptis instruendos, conuertunt. Ad hunc locum Commentarios, Annales, Historiae denique iusta corpora, pure et perspicue scripta, vix vllis vestita verborum lenociniis, et in vero tradendo vnice occupata, referenda esse satis constat. Alia contra genera iucundos in lectoribus sensus, quos excitent, propositos habent. Quae iterum varie efformata videas. Sunt, qui historiam exposituri, colore dictionis poetico vtuntur, ingenio indulgent in effingendis hominum re-

rumque

*) Prodiit hic liber eius Kiliae, anno huius Seculi septimo, quaternis. In quo si parem sedulitati in compilando iudicandi vim ostendisset, multo magis celebraretur.

rumque imaginibus; lectores vt in admirationem narrationis rapiant, student; denique scite, ac fere molliter omnia, captata pulchritudine quadam et elegantia, imo et dicacitate, persequuntur. Ab his toto coelo diuersi sunt, qui, deserta solutae orationis libertate, poesin historiae accommodant, et clarorum in primis virorum res gestas carminibus praedicare instituunt.

Atque hoc genus *Historiam Poeticam* appellare placuit; cuius nominis causa interpretatione nulla indiget. Alii *Poesin Historicam* dixerint; nec valde repugnem: sed cum sit historia versibus exposita, priorem appellationem praefendam duxi. Neque est, cur de ipsa natura illius copiose mihi differendum videatur. Etenim vel nomine eius audito protinus intelligitur, non tam poeseos genus eo indicari, quam historiae, quae venustatem, et amoeniorem aliquam speciem, a poetarum illecebris repetat, nec inueniendo et fingendo occupetur, sed tradita quasi a veritatis manu certis numeris adstringat, efficiat viuidiora, imprimisque in formandis descriptionibus pictura poetica vtatur. Historia loquitur: os subministrat poesis.

Hanc autem rationem historiae tradendae, imo et commendandae, facile *ab epico carmine* distinxeris. Simplici, et a rebus ipsis desumpto ordine incedit Historia Poetica; at illum Heroica Poesis adeo dedignatur, vt potius medias in res inuolet, tumultu et procellis mixtam rempublicam, aut luctantem cum malis atque aduersa fortuna regem vel ducem aliquem militiae primum omnium producat; deinde vero ex his turbis progressa ad rei initia ipsa gradum flectat, rursus ad exitum properet, parum certo loco aut quieta consistens. Illa in summa rerum gestarum nihil mutare audet, fidelis interpretes eorum, quae ex testibus accuratis accepit: et si quaedam verbis et figuris maiora reddit, laudandi hoc potius causa facit, quam vt historiae sinceros vultus fuco obducere conetur.

tur. Haec contra non alia re foecundior et admirabilior cernitur, quam fingendis ad veri speciem diuinis et humanis, quorum ope tenuitas narrationis augustiorem formam contrahat, res gestae coelum ipsum contingere videantur, nec terrarum finibus concludantur, et mortalium viribus, vt est in celebratissimo illo *Virgilii* loco: *)

*Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacaenae,
Culpatusue Paris; verum inclementia Diuum,
Has euertit opes, sternitque a culmine Troiam;*
et paucis interiectis:

*Apparent dirae facies, inimicaque Troiae
Numina magna Deum.*

Denique et ipso poeticae orationis genere ab historica poeti-
epicum carmen segregatur. Illam velut aequabiliter profluens
amnis deuehit amoena quidem et floribus distincta dictio, sed
eadem facilis, lenis, et a turgido aestu prorsus aliena. Hoc
Oceani quasi fluctibus iactatur, sublimia et grandia verba ca-
pat, ruitque praecipit, omni ingenii vi ac pondere suffulta,
nunc ad animos metu aut terrore concutiendos, nunc ad ma-
ximarum rerum admirationem augendam, nunc ad moeroris
et misericordiae sensus prouocandos; verbo, ad mentes lecto-
rum hac ipsa motuum varietate quam suauissime afficiendas at-
que adeo turbandas. Succurrit aptissimus huic disputationi
locus *Petronii*, **) apud quem Eumolpus: „Ecce, inquit,
„belli ciuilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris,
„sub onere labetur. Non enim res gestae versibus compre-
„hendendae sunt, quod longe melius historici faciunt; sed
„per ambages Deorumque ministeria, et fabulosum sententia-
„rum tormentum, praecipitandus est liber spiritus, vt potius
„furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosae orationis
„sub

*) VIRGIL. Aeneid. L. II. v. 601. sq. 622. sq.

**) PETRON. Satyric. p. 213. (Rotterdam. 1693. 8.)

„sub testibus fides; tamquam si placet hic impetus, etiamsi „nondum recepit vltimam manum.“ Nihil accuratius dici potest ad fines Historiae poeticae et Epici carminis rite constituendos.

Hos tamen terminos scriptores non pauci ita miscuerunt, vt media quadam inter vtrumque genus via inceserint. Eos volo primum, qui dignam quidem heroico carmine materiam, et aequam viribus suis, sumserunt, professique adeo sunt, vt *Domitii Marci*, *) *Tibullum* lugentis, verbis vtar, se regia bella forti pede cantaturos esse: sed cum manum operi admouere coeperunt, historicos potius egere, et oris illius magna sonaturi fere obliterati, nonnumquam duntaxat a plano narrationis tramite audaciores ad sidera transuolarunt. Horum princeps sine dubio *Lucanus* censendus est, summi adolescens ingenii, sed quem immaturius fatum a perfectione artis prohibuit. Hic, si temporum ordinem, si fidem et copiam narrationis spectes, quam secutus est, inter Historicos referendus videtur; si autem consilium, quo *plus quam ciuilia bella* describere aggressus est, si acerrimi spiritus redeuntem per interualla impetum cogites, et plurimos inuentionis pulcherrimae fructus, proximus Aeneidi videbitur. Quid igitur? vtram personam rectius sustinet? Nunc hanc, puto, nunc illam. Neque me poenitet, post alios *Grotium* sententiam dicentem sequi, cui satis constat in deliciis *Lucanum* fuisse. Is igitur aliquo loco: „Optimus, inquit, **) non cum vulgo, sed ex „arte loquendi magister, *Aristoteles*, poesin esse dixit imitationem humanarum actionum: quo iudice, *Heliodori* fabula „poema erit, *Lucani* carmen non erit. Hic enim maxima ex „parte narrat; ille fingit, quae vero sunt similia.“ Haec verissime dicta, licet vehementer temperandas esse clarissimi poetae

*) In *TIBULLI* Carmin. p. 149. ed. Cl. *Heynio*.

**) *GROTIVS* in Prolegomenorum initio, quae *Phoenissis Euripidis*, a se editis, Paris. 1630. 8. praemisit.

VIII

tae laudes doceant; has tamen ipsas rerum periti, et in illius lectione assidui, numquam negabunt esse locupletissimas. De his nouissimus omnium ingeniosissime iudicauit *Marmontelius*, qui nunc inter Francogallos, egregius pariter et magister artis poeticae, et exemplum floret, in praefatione amplissima, quam nouae versionis Pharsalicorum *Lucani*, nuper a se editae, adiunxit.

Sed illi quoque medii inter Historiae poeticae et Heroici carminis ditionem consistunt, qui, cum res gestas principis, ducis, aut populi cuiusdam versibus extollendas sibi hac lege deposcant, ut nihil quod non omnino actum sit, memoriae hominum commendent, ceterum libertatem quandam in amplificanda et exornanda eorum fama retineant; tamen neque his finibus inhaerentes, poetico ingenio aliquanto plus tribuunt, nec prorsus a fictionibus abhorrent, a quibus narrationis veritas certiolem admirationem accipiat. Vnum ex hoc genere poetam produxisse satis fuerit *Boelaeum*, qui nobili illo carmine de transitu Rheni, a *Ludouici XIV.* copiis, ipso praesente, spectante, iubente, non praecedente, perfecto, non dubitauit Rhenum loquentem sistere, et conquerentes fluuii Nymphas. Tales sane mythici et fabularis argumenti ornatus, modice admisti, tolerari possunt aequis auribus, effuse autem se ingerentes, longius a natura historicae laudationis recedunt, quoad haec poetis permilla videtur.

Atque haec ipsa natura, quam adhuc illustrari, consulenda est, cum de legibus quaeritur, ad quas conformanda sit Historica Poesis. Nam si in vniuerso hoc genere id spectatur vnice, ut res in primis posteris memorandae, et poetarum dotibus dignae, candide et ad delectandum apte tradantur: primum quidem luculenta veritas et copia certa, ut in omni historia, colenda illi atque sectanda erit. Dicendum igitur est Poetae Historico de principe rerum gestarum auctore, neque manca illius imago proponenda est. Patefaciat bona ingenii
et

et animi in eo sita, praedicet genus et maiores, consilia, opera magnifica; et quaecunque vel ad virtutem referenda sunt, vel ad felicitatem. Si quae in eo sunt reprehensioni obnoxia, eorum ignominiam ita arte quadam minuat, vt non tam sustulisse videatur, quam excusasse, et ab odio liberasse. Res ipsas, in quibus illius partes praecipuae fuerunt, ita exponat auctor carminis, vt nec temporis rationes turbet, nec causas et adiumenta earum latere patiatur; denique, vt ingentes rerum publicarum vicissitudines, harum rerum ope procreatas, diligenter euoluat. In vbertate autem et multitudine dicendorum eum modum teneat, vt in magnis enarrandis copiosus, in minutis multo breuius versetur; imo ad haec nonnisi tum delabatur, cum singularem aliquam gratiam, et cum maioribus rebus coniunctionem produnt.

In his omnibus exsequendis commune ille quidem cum historicis quibuscunque munus gerere videtur; sed iam, vt Poetam agnoscas, adsciscendus est nitor quidam, commutata innumeris modis et versicolor quasi oratio, eaque ad oblectandum et elegantiam nudae historiae addendam, quam maxime comparata. Non minima mihi pars poetices in hunc locum transferenda esset, si praesidia artis huius ad historiam exornandam profutura edisserere singula instituerem. Sed summa tamen capita recensenda sunt in hac propositae rei opportunitate. Vt enim a verbis ipsis et struendorum artificio ordiar, alia omnia hic desiderat Historia poetica, quam illa vulgatior. Petit vndique figuris, vocabulis numerosis, et aliquam naturae imaginem referentibus, sonoris epithetis, depromptis etiam ex media mythologia phrasibus, laetior atque robustior exurgit. Non illa multos *in praelio occubuisse* narrat, sed longe plurimos *Stygias ad aquas demissos esse a Marte*; nec *ventorum impetum fauisse imperatori* manum cum hostibus conferenti, sed *coniuratos venisse ad classica ventos*, cum *Claudiano* laetur.

tur. Mox ad descriptiones progressa, omnem pingendi artem ita experitur, ut Deum, genios, homines, animalia, indolem et mores omnium, proeliorum et foederum nexus, verbo, vniuersam naturae varietatem, eamque non vita destitutam, sed animatam omnino, prodire ante oculos legentium iubeat, eosque sentire faciat, quaecunque agunt alii, vel perferunt. Sed si prosa oratione vtentibus primum fere et difficillimum officium videtur, delineare characteres huiusmodi, et conuenientes rei aut personae cuique notas colligere, plurimum profecto artis et verioris in intelligendo sensus poeta sibi optauerit, qui historiae scribendae consilium secum agit. Valet enim de toto hoc genere, quod de belli atque pugnae imaginibus *Horatius* testatur: *)

*Neque enim quiuis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.*

Accedant, necesse est, comparationes illustres praesentium rerum, quas Poeta canit, cum similibus per omnem memoriam hominum, et per ipsam naturae historiam sparsis; ut ita inter se contendendo lucem et splendorem vtrisque conciliet. Parua quoque magnis componere licet; modo ne ad nimis abiecta et humi repentia concidat Poetae vigor. Et sunt quaedam, quae communis loquendi vsus et simplicior narratio respuit, libenter contra poesis adoptat: ut, si furibundos inter se milites committat ex vtraque acie, non modo leonibus eos comparare possit, sed etiam tauris in mutua vulnera ruentibus; si effusam ex vrbe hominum multitudinem spectandam praebet, non apum tantum examinibus, sed etiam formicarum innumerabili agmini, subito ex terra prodeunti, lectoribus non
iniquae

*) HORAT. Sermon. L. II. Sat. II. v. 13. sq.

inique ferentibus, eos aequauerit. Superfunt ex aliis ornandi delectandique adminiculis, quae Historiae Poeticae offerre se videntur, quorum etiam partem non contemnendam praetermitto, orationes et sermones magnorum virorum, vel de grauibus reipublicae consiliis, vel in ancipiti eius statu, vel in discrimine pugnae adeundo, vel ad se ipsos defendendos, vel alia quacunque de causa, habiti. Incredibile dictu est, quantopere illi lectorum animos in eandem fatorum seriem pertrahant, cui auctores illorum quasi implicati haeserunt. Sed hic quoque locus ex iis est, in quibus Poeta ingenii et phantasiae vim sapienter regendam ostentare cum laude possit, sine artis tamen difficiliore apparatu vix valeat. Constat, Historicorum aliquos, in orationibus eiusmodi narrationi suae intendendis, curiosam et felicem diligentiam posuisse, vt *Liuium*, et *Curtium* multo magis, ne de *Thucydide* dicam, et aliis. Poterant illi hoc declamandi artificio, salua historiae veritate, carere, si seuerior ratio, eaque minus compta, placebat; iam cum has quoque dapes lectoribus proponant, vt summam eorum, quae a clarissimis viris breuiter dicta sunt, ex tempore fere, et rudiore Minerua, pulcherrime vestitam amplificatamque, affectuum et orationis disertae eloquentia reddant, plurimae illis a lectoribus gratiae debentur. Maiora igitur et hic Poeta Historicus, vt consequatur, studebit. Non perorantes tantum heroas eleganter et fortiter sistet, sed admotis quasi exagitati animi facibus, incendii in modum ore suo omnia vastantes. Vt paucis multa complectar, Aiacem et Vlysssem, pro se dicentes coram exercitu Graecorum, vt armis Achillis potiantur, *) imitabitur: quorum orationibus qui non impensius moueatur, eum nihil de quieta mentis sordidia deiecerit.

B 2

Ac

*) OVID. Metamorph. L. XIII. v. 1. sq.

Ac de legibus quidem Historiae Poeticae haecenus. Sed videntur etiam quaedam contra hoc genus dici posse, quae strictim diluenda sumam. Alterum horum est, quod historiae veritas hoc modo nimis facile corrumpitur, quum scriptores eiusmodi, prouisi ad fictiones ferendas, et vero similia, aut ob affinitatem aliquam, quam ipsi soli cernunt, credibilia, certis et exploratis immiscenda ferantur. Metuendum istud quidem esset, si his solis carminibus historia traderetur, si non adiungi illis facile possent narrationes ab omni furo liberae, ad quarum fidem poeticae laudes exigantur. Verum his commendandis adeo illae non tolluntur, ut potius ab historia versibus tradenda in perpetuum arcendi essent, veritatis quodam interdicto, scriptores ingeniosi, si nulli praeter eos exstarent, qui res gestas, alienissimi a magnifica praedicatione, et ambitiosa sublimium descriptionum consecratione, enarrant. Sed tamen in alienos campos inuolare videtur poesis, historia contrectata: venio enim ad alterum, quod huic generi opponi potest. Ne hoc quidem largior. Nam si poetae idem sibi ius, eandem finium amplitudinem cum pictoribus vindicant, ut, quidquid natura et scientia humana complectantur, coloribus suis illustrent, et ad delectationem accommodatius componant: idem illis licebit in historia, si eas, de quibus supra dictum est, leges obseruauerint, quod picturae peritis, qui res gestas multo quam acciderunt augustiores et suauiores effingunt. Neque autem poetae, cum historicos imitantur, parem cum illis auctoritatem se consecuturos sperant, aut apud intelligentes adipiscuntur; diuisis regnant finibus, sed ita tamen, ut poetae historicorum campos floribus suis conspergant nonnumquam, et cum iis similes fieri conantur, sibi delectandi praecipue partes deposcunt, erudiendi prouinciam illis relinquunt.

Iam

Iam si quis exempla Historiae Poeticae desideret, horum tanta copia in promptu est, vt, si in latinis tantum, vel in recentioribus duntaxat huius generis operibus, pedem figere velim, libellus mihi scribendus sit, non hae, quae super-
sunt, angustiae implendae. Non enim nomina tantum aucto-
rum et carminum, cum editionibus aut versionibus eorum, proferenda essent; sed iudicandum de singulis, quantum legi-
bus illis superioribus satisfecerint; quam procul a carmine epico, aut ab historia accurata absint; quem vsum denique libri eorum, vel in rebus gestis cognoscendis, vel in poetica elegantia adsequenda, praestent. Itaque alius loci et temporis haec disputatio erit. Ne tamen nihil omnino de iis a me dictum videatur, ex veteribus, post *Apollonium Rhodium* et *Lu-
canum*, memorandi maxime *Claudianus* et *Silius Italicus* vi-
dentur. Media aetas longe plurimos in hac palaestra scripto-
res vidit. Mihi reliquos antecellere certum est *Roswithae*
Panegyri de gestis Ottonum, *Guilielmi Britonis Armemorici*
Philippidos, seu de rebus gestis Philippi Augusti, Regis Fran-
ciae, Libros XII. et *Gualteri* *Alexandreida*: e quibus illa vel propter sexus miraculum legenda est; hi, etiam ob raram eo tempore versuum concinnitatem, et vbertatem inuentionis, laudantur. Permulti se his recentiore aetate adiunxerunt, e quibus vnum merito eximendum puto ceterorum choro, quod Sapientissimae et Felicissimae Augustae, quam adhuc Germania veneratur, laudes, digno sane illius maiestate carmine persecutus est, *Franciscum Maria Cesarem*, in *Theresia*, seu *Ostentis Dei O. M. editis pro Augusta, Maria Theresia, Romanorum Imperatrice*, cet. Prodiit Opus egregium Vindobonae A. 1752. quaternis, certatque de palma cum optimis ex hoc genere poematibus.

Sed hac omni, quamvis breuiuscula disputatione, non tam argutas de proposito argumento obseruationes colligere institutum erat, quam vtilia quaedam eadem opera praecepta ingerere. Quo pertinet primum: magis multo inflammari animos, rerum a viris magnis gestarum lectione, et certiore virtutum amore incendi, si eas poeseos beneficio ad animum referre discant, modo haec impetu suo moderate et sapienter vtatur. Deinde, amandam quidem esse plurimum hanc historiae versibus exornandae rationem; ceterum, accuratiorem illam, grauem, et veri cum religione quadam studiosam, vnice tamen diligendam atque colendam esse. Denique, in scribenda ad has leges historia, poeticum colorem, ampullas, et sesquipedalia verba, fugienda esse quam maxime: quod tamen peccatum est huic aetati valde commune, vt diuersissima orationis genera temere inter se misceantur.

Itaque nec illis haec negligenda sunt bonarum litterarum et artium studiosis, qui hoc tempore diligentiae et probabilis doctrinae fructum, supremum Philosophiae honorem, ex Ordinis nostri decreto consequuntur.

Sunt autem hi:

CHRISTIANVS GODOFREDVS KESSEL
CIZENSIS.

CAROLVS GOTTLIEB GLOEKNER
ARNSFELDA MISN.

DANIEL CHRISTIANVS BURDACH
KOHLO LVSATVS.

EHRE-

EHREGOTT LEBERECHT BONITZ

LICHTENSTEINA SCHOENBURGICVS.

IUSTVS FRIDERICVS FRORIEP

LVBECENSIS.

THEOPHILVS HENRICVS IDE

LIPSIENSIS.

IOHANNES GODOFRED. SCHARFENBERG

LIPSIENSIS.

CHRISTIANVS FRIDERICVS PEZOLD

WIDEMARIENSIS MISNICVS.

IO. GOTTLIEB SCHMIDT

DRESDENSIS.

GEORG. FRIDERICVS KRONBIEGEL

BREHNA SAXO.

CHRISTIAN. GOTTLIEB VIBIG

ZSCHOPAVIA MISNICVS.

IOANN. DANIEL REICHEL

KRUMHERMERSDORFIO MISNICVS.

In

In istis VI. priores, diplomate publice proposito, Philosophiae et bonarum Artium Magistri, nunc demum publice renuntiandi, creati sunt: VI. reliqui, proximo die Iouis, hoc est die V. Martii, hora X. in Auditorio Philosophico, more maiorum, Magistri creabuntur atque inaugurabuntur. Quae solemnitas ut MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, COMITES ILLVSTRISSIMI, OMNIVM ITEM ORDINVM DOCTORES ET FAVTORES REI NOSTRAE, COMMILITONES DENIQVE GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI, cohonestare sua praesentia velint, et meo, et mei Ordinis nomine, vehementer, atque ita rogo, ut beneficium nobis tribui existimem.

P. P. in Vniuersitate studiorum Lipsica, Domin. Esto mihi
A. R. S. MDCCCLXVII.



L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.